

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda, in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-tertiâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXIII.

M°. RENATO LOUICHE DESFONTAINES, Doctore Medico, Præside.

An Vita corporis, continua in cibos actio?

I.

VIVIT procul dubio corpus humanum, cùm agit aut agere potest. Id autem præstat, si sentit ac movetur, interdùm etiam, si cogitat & vult spiritalis anima. Hinc primaria genuinaque vitæ elementa, omninò duo, conveniens ad motum partium compositio; physicus verò imprimis sensus. Cogitare enim ac velle, adventitium quid esse videtur atque superadditum. Verùm nunc

ſi quiſpiam eſt, qui roget, undè vivificans ille in materiâ ſenſus; quid reponi debeat, haud ità quidem videmus. Si enim dixerimus, animam ipſam eſſe cogitantem, illìc quæ hoſpitetur: ut vivunt fetus primis in utero temporibus? ut vivunt plantæ, brutaque animalia? Sin autem ſpiritum quemdam, qui nec materia ſit nec anima, finxerimus: eſſe quid poterit iſte, niſi tenebrarum parens, nulliuſque utilitatis? an tandem pronuntiabimus modificationem eſſe nervorum, aliamve corpoream? Imò verò; ac quoniam alicui adhærendum opinioni eſt, ita planè cenſemus. Etenim quid vetare potuit ſapientiſſimum ac potentiſſimum corporis humani architectum, eam quidem, luto ſub plaſmaturâ, formam aut mechanicam induxiſſe, undè prodierit ſenſus. Nùm ibi quidquam portentoſum magis, pro fabricatoris ſummi hominumque ſolertiâ, quàm in illis ipſis manibus hominum fabrefactis ſimulacris, quæ vitalem tamen penè aërem ducere viſa ſunt, & quorum aliqua ſponte ſuâ deambulare, aut pulmonales quoque ſonos edere credita ſunt.

Hìc noſtram ſubit mentem, eſſe dicendum potiùs, ſenſum in homine atque omnia hujus corporea, planè quidem intellecturum eſſe hominem, ſi quam in apertiſſimis tantùm ac craſſiſſimis chemico-mechanicam habet ſcientiam, ea in fabricæ ſuæ tam abſtruſo tamque ſubtili opere, profundior ſaltem eſſet ac divinæ propior. Hæc ſatis de ſenſu. Alterum, diximus, vitæ elementum motus eſt. Videtur autem ipſe, altera utcumque materiæ modificatio, materia nempe, licet eadem, à loco in locum tranſlata. Sed credimus ei præire ſenſum ac præter huncce, ut fiat, idoneam requiri partium conſtructionem. Iſta verò cùm fuerint, atque impellens quævis cauſa acceſſerit, putà animæ vis & arbitrium, aut corporis alicujus externi actio, motum profectò ſecuturum. Cæterùm hìc animadvertendum eſt, neque ſenſum neque motum, ut eſt quidem de omnibus materiæ modificationibus, eſſe ſimplicem, varium contrà variis in partibus; in toto corpore diverſiſſimum. Nec minùs certè notatu dignum habendum, omnes & ſingulas corporis functiones à ſenſu motuque pendere; illaſque ita combinari ac componi inter ſe, ut in varia abeant ſyſtemata viventia, penè diceremus, in animali quodam majori minora totidem animalia. Horum verò, dum agunt, organa, determinatum ſervare conſueverunt ordinem, nunc recenſendum.

I I.

HIC eſt porrò quem facilè ſequemur. Homo ritè ſi valet & vigilat, poſt ſex aut ſeptem ab ultimis epulis horas, ut plurimùm eſurire incipit, potus ciboſque capit & novum inſtaurat quaſi vitæ curriculum. Ecce enim protinùs muſculi agunt illi, qui mandibulam movere queunt; pleno ſaliva fluit alveo; lingua in motum acta rapidum, hùc atque illùc alimentarium eò uſque bolum verſat, dùm paratum, ſuîque priùs impoſitum dorſo protrudat in pharyngem. Excipit hic quidem, ſed acceptum brevì committit æſophago; qui cùm non retineat, ipſe in ventriculum rectà deponit. Ac tùm quidem prorsùs mirum; ventriculo enim non magna ſolùm ſed corpori etiam toti ſuccreſcit actio. Hoc in illum confertis inſurgere viribus diceremus; queis tamen fortitèr, quia reſiſtitur, ſit corporis reliqui tenſio; partium, ſi qui ſint, laboribus obſiſtitur; ſummè præcordiorum intenditur vita. Nempè æquum eſt concurſu id fieri omnium, omnium quod futurum eſt. Interim verò ſubtile cùm factum ſit, magiſque fluidùm, quod membranaceo huic fuit ſacco inditum, paulatim è pyloro in duodenum elabitur; ibique illud, viciniſque locis quia irritamento eſt, ſuos illicò fundunt humores hepar ac pancreas, nec-non etiam illæ, intùs quæ ab inteſti-

nis tenuibus foventur, glandulæ. Chymus autem jàm in chylum conversus; hujusque fluidiorem partem, dùm bibula lacteaque ebibunt oscula; crassior ac putida per reliquam intestinorum fistulam vi foras amandatur.

I I I.

PARS verò illa chyli fluidior, quam mesenterium ejusque glandulæ promovent, dein quidem in lumbarem venit cisternam, sed ibi parùm commoratur: brevì enim per thoracicum ductum, ad superiorem trunci partem, se efferens, post tanti itineris defatigationem, subclaviæ demùm venæ infunditur. Quo quidem loco, quanquam illa est in sanguine, tamen naturam non priùs suam, suumque colorem exuit, quàm cor, pulmonem aliasque corporis partes agitaverit, omnibusque saltem subministrârit. Et verò quanta sit ad sensum cordis mollitia ac teneritas, nemo non novit? Sanguinis, aiunt, non contactum ipsum, adeò tamen consuetum, neque aëris, neque aquæ, aut olei, insipidorum prorsùs fluidorum ferre potest: ut crudioris porrò chyli, haud rarò certè vegetabilis prosapiæ quid ingratum retinentis; insolito sæpè odore vel sapore imbuti, patienter tolerare posset? longè igitur probabiliùs accidit, ubi novus cum sanguine in dextrum cordis thalamum appellit chylus, illicò contrahi cor, validiùs ac quâ data porta, evomere. Verùm quidem est, nusquàm postea immaturiorem à corde chylum impelli quàm in pulmonem, obscurumque esse planè, ibidem quem ille exerat effectum: at credibile est saltem in pulmone, chylus ita cum mutetur, ut depositâ pristinâ suâ indole, animalem atque individui naturam induat, ab eo quoquo modo pulmonem affici; in vivis enim quid mutare, in hoc agere est, proindèque anteà sentire. Cœterùm, quæcumque sit chyli in pulmonem actio, chylum pulmo profectò subigit, sive quia longè latèque patet, sive suâ fortasse magis adhùc mechanicâ. Sed ille, licèt jam naturæ humanæ factus sit propior, non ita tamen statim mansuescit, quin etiamnunc, in sinistrum cordis ventriculum cum effunditur, proritare videatur. Hinc autem pulsus aliquo a digestione tempore elatior: hinc stimulus ille quoquoversùm diffusus.

I V.

IS autem, quanquam est debilis, iisdem tamen ac reliquis corporis partibus ad actionem proliciendis videtur sufficere. Expergiscuntur omnia atque operantur; fit unaquæque pars quasi memor & opportunitatis ad nutritionem & temporis ad officium: sed cum primis hìc elucet summa cordis cum dignitate necessitas. Satis quippè non erat, id in humorum oceano reperiri posse, quod cerebro, quod hepati, aliis quod partibus, aptum esset natum; at quod singula singulis dispensaret, maximè erat opus. Id porrò oneris sibi potissimùm cor suscipit; totam toti annonam corpori vehens, sicque offerens obsequiosè, suum ut quodque seligere possit ac sumere. Quod verò nisi faciat, æquè certò periturus est microcosmus, ac futuri essent nudi, solis sine influxu planetæ. Nutricatio autem ut primaria, ita maxima corporis functio.

Neque tamen otiosæ manent glandulæ; agunt & ipsæ: peculiarem quippè ex chylo aut sanguine humorem trahunt; in cistâ, si expedit, hunc coërcent: aliàs suo tantùm tempore fugunt ac fundunt.

Nunc autem duo patere credimus, esse quidem corpus à chylo perfecto, assimilato. Ideò verò susceptum, eumque perpetuò vigere, dùm stat vita, actionum à corpore circuitum. Modò enim paucis vidimus, aliis primùm in chylum subigi

partibus eduliorum massam ; hunc aliis dein sanguini invehi; à corde tùm diffundi quòcunque; posteà à glandulis defœcari, parari in succos utiles; omnium tandem esse alimentum, dùm consumatur, novusque sed similis, instauretur actionum circulus.

V.

MALE autem quis contenderet, quæ diximus, malè esse posita, quia in matris utero, vivit quidem fetus, nec tamen chylum facit. Hinc enim tantùm sequitur, conjuncta duo corpora, ambo vivere posse, si alterutrum saltem digerat alimenta, vitalemque paret succum, qui ab uno in alterum venire possit: nemo verò non fatebitur ita rem se habere in muliere gravidâ: sed ubi vitæ abrumpitur communio, nisi sua protinùs incalescat fetui culina, & vitalem continuò succum subministret, quam ille vix adeptus est, vitam amittit. Quod si nunc idem urgeat, visos saltem fuisse homines, longè quidem ab ortu suo remotos, qui licet nihil quidquam deglutirent, tamen diù vixerunt: dicemus hîc persæpè fraudem fuisse, illud autem si acciderit, evincere, illos quidem homines eo corporis habitu fuisse præditos, ut vitæ alimoniam ex aëre attrahere potuerint; iis itaque atmosphæram, in quâ natamus omnes, omnigenis semper particulis refertam, alterum fuisse quasi ventriculum, alteramve potiùs matricem. Verùm cùm perquàm rarò id obtineat; & contrà in reliquis hominibus, necessum esse videamus alimenta capi, masticari, deglutiri; in chylum, ad id conspirante toto corpore, converti; hunc deindè sanguini infundi; tum à corde corporis sole, omnibus & singulis distribui partibus, defœcandum, parandum, assimilandum; ac tandem vitam aliâ non posse perennare conditione, quàm ut idem continuò ad cessationem repetat, securè concludimus:

Ergò vita corporis, continua in cibos actio.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Bernardus DUPUY.	*M. Ludovicus-Alexander* DE CÉZAN.	*M. Mich.-Philipp.* BOUVART, *Regii Ordinis Eques, Regiæ Scientiarum Academiæ Socius, Censor Regius.*
M. Joannes COLOMBIER.	*M. Joannes-Bapt.* LANGLOIS, *Scholarum Professor.*	*M. Mich.-Joseph.* MAJAULT, *antiquus Regis Exercituum in Germaniâ Medicus.*
M. Joannes-Carolus DES-ESSARTZ, *antiquus Decanus, Regii Medicorum Collegii Lugdunensis Socius.*	*M. Henricus* RAIMOND, *Regis Exercituum in Insulâ Corsicâ Medicus.*	*M. Gasp.* COCHON DU PUY, *Regii Ordinis Eques, Regis Consiliarius, & in Arce maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.*

Proponebat Parisiis ANTONIUS - FRANCISCUS - PLACIDUS - JOSEPHUS DESMARESCAUX, Tornacensis, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Author.
A. R. S. H. 1783. AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1783.